



Disputationum historicarum ad textum Herodiani quarta

<https://hdl.handle.net/1874/340882>

DISPUTATIONUM HISTORICARVM

A D

Textum Herodiani,

QUARTA,

QUAM

Favente Deo Opt. Max.

Sub Praesidio,

D. PAULI VOET, L. A. M.

& Metaphysices in almâ Academiâ Ultrajectinâ Professoris,


Publicè tuericonabitur,

MARCUS du TOUR.

Ad diem 18. Decemb. horâ 2. pomeridianâ.



Ultrajecti, Ex Officinâ Ægidii Roman, Aca-
demiæ Typographi, 1641.



*Nobilissima, Religiosissima omnique Doctrina
genere cumulatifima*

VIRGINI
D^Æ. ANNÆ MARIÆ
SCHURMAN orbis
terrarum phœnici.

Hoc exercitium Historicum

in grati animi argumentum

in scriptum eo

MARCUS de TOUR

Resp.

TEXTUM HERO-
DIANI.

Q V A R T A.

Μόνος τε βασιλέων φιλοσοφίαν ἢ λόγους, ἢ δὲ διοχημάτων γνάστοι,
σεμνῶς ἢ ἡδὲ καὶ βίᾳ σώφρονι ὄψασαίτο.

Quær. An conveniat huic principi operam dare philosophia?



Elices dixerim subditos, qui philosophantem nacti sunt principem. Suffragatur Boët. lib. 1. de Consol. philos. prof. 4. Tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore Respubl. si eas vel studiosi sapientia regeant, vel earum rectores studere sapientia contigisset. Ad exempla transeamus, quo pateat, hæc ita se habere. Vocatus ad Dionysium Plato, ut capite curato universæ Siciliae laboranti medicinam faceret, non semel profectus est. Et hoc philosophiæ documentis est consecutus, ut pudor in omnibus conviviis, ac ubique in actionibus mode ratio adhiberetur. Plutarch. in Dion. αἰδώς ἢ συμποσίων, καὶ ἡμπαρμὸς αὐτῆς, καὶ ἀρετῆς αὐτῆς ἔτυραννε, περὶ ἕκαστα τῶν χρηματισσομένων, δαυμασὰς ἐπέδωκεν, ἐλπίδας μελαβολῆς τοῖς πολιταῖς. φοεῖ δὲ τις ἢν ὀπὶ λόγους καὶ φιλοσοφίαν ἀπάντων. Verecanda deinde erant convivia, ordo curia, ipsa etiam Tyranni in jure dicendo benignitas, mirificam civitati spem de hominis commutatione præstitit. Neque hoc sine ratione: Erat enim unus omnium ad doctrinam & philosophiam impetus. Philippus Macedo ab Epaminonda præstantissimo philosopho institutus, curam Alexandri filii demandavit Aristoteli, ex cujus

disciplina decem ferme annis informatus est eo successu, ut pleribus
 à præceptore Aristotele, quam à Philippo parente præsidis subor-
 natus in Persas trajecerit. In eadem cum Philippo fuere sententiâ,
 qui præcessere, & qui secuti fuere Principes. Pericles Anaxagoram
 habuit moderatorem. Dion Platonem, Optimates Italiæ Pythagora-
 ram, Epaminondas Lyliam, Agesilaus Socratem & Xenophontem.
 Iulius Cæsar Aristonis januam frequentavit, Pompejus Cratippi.
 Idem confecto Mithridatico bello, fascis philosophiæ submisit;
 intraturus Possidonii sapientiæ professione clari domum, fores per-
 cuti de more à licetore vetuit: Augustus Cæsar, Arium & Atheno-
 dorum secum habuit: Trajanus cognomēto Optimus Plutarchum.
 Denique Marcus Antoninus Philosophiam nunquam sprevit, ejus
 rei luculenta occurrunt testimonia apud Iul. Capitol. in ejus vita.
*Apud Agyptios civem se egit & philosophum, in omnibus stadus, tem-
 plis, locis. & paulo post: Sententiâ Platonis semper in ore illius fuit,
 Florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut Imperatores philoso-
 pharentur. Sed ut clarius, En verba Platonis, libr. 5. de republ.*
*Εάν μὴ ἢ ὁ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς γὰρ ἦν ἀν-
 ῥώμηνοι καὶ δυναταὶ φιλοσοφῶσιν γνησίως καὶ ἰκανῶς, καὶ τὸτο εἰς ταῦτόν
 συμπέσει ἡ δύναμις τῆ πολιτικῆ καὶ φιλοσοφία, ἢ ἔστι καλῶν παύλα ταῖς
 πόλεσιν, ἢ δὲ τῶ ἀνθρώπων γένηι. id est, Nisi philosophi civitatibus do-
 minentur, vel hi qui nunc reges potentesque dicuntur, legitime sufficien-
 terque philosophentur in idemque civilis potentia & philosophia concor-
 rant, neque (quod nunc fit) a diversis duo hæc traherentur ingenii, non
 erit civitati, vel etiam hominum generi, requies ulla malorum. Advertit
 id Xenophon in Cyropædia, ubi qualem principem esse conveniat,
 diserte docuit. Idem observavit Plutarchus, in Commentatio.
*περὶ ἡγεμόνα ἀπαιτήτων: ubi ita. Οἱ δὲ φιλοσοφίας τῶ ἀρχοντι πάρε-
 δρῶ καὶ φύλαξ ἐγκαταμισθεὶς λέγῃ, ὥσπερ ἐνεχίας τῆς δυνάμεως τὸ
 ἐπισφαλὲς ἀφαιρῶν, ἀπολείπει τὸ ὑγαῖνον: Doctrina ex philosophia
 prompta, qua assessor & custos est domestica imperantis, de potestate
 sicut bono habitu præscindens quod lubricum est, relinquit quod est sanum.*
 Ac nota est Alphonfi vox regis Arragonum sapientissimi, dicentis,
*Non hominis, sed bovis recem esse, ejus qui dixerat, non decere principem
 tenere**

tene litteras. Quare sapienter, Demetrius Phalereus, Theophrasti auditor, Prolomæum regem monebat, ut de regno imperioque libros sibi compararet, atque perlegeret: quæ enim amici non audent monere reges, hæc in libris scripta esse: referente Plutarcho. Reclamat Ennianus ille Neoptolemus, Philosophandum esse, sed paucis. Aul. Gellius noct. Attic. 5, 15. Reclamat Agrippina Neronis, quæ filium à philosophiâ avertit: monens imperaturo contrariam. Ast experta est pessima fœmina, quam male consulisset, cum omni honore & potestate spoliata, veneno & naufragio tentata, tandem vulneribus confecta, non principem sed tyrannum reliquit, monstrum non hominem. Ne vero in excessu quisquam peccet, cautelam adhibebimus. Ita vir Princeps philosophiam amet, in quantum vitæ institutioni ac reipubl. utilis ac honorifica est futura. Exemplo sit Helvidius Priscus, qui ingenium suum illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit: non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuna, Republicam capesseret. Tacit. Hist. lib. 4. Servium Tullium Rom. Reg. eruditum fuisse artibus, quibus ingenia ad magna fortuna cultum excitantur, testis est Liv. lib. 1. Tales Sulla, Pompejus, Lucullus, Cæsar, animi cultum, quatenus opus, & ad rem & ad usum pertineret assumpserunt. Talis Imperator Marcus, qui studium sapientia, non argutiis quibusdam, non vanis quæstionibus; non verbis aut decretorum scientiâ: sed morum gravitate, vitæque continentia, confirmavit. Expediam ante dicta Taciti monito in Agric. Studio scientia flagrantem animum coercere, quibus magisteratus suos videt esse deditos. Soret vulgus in iis studiis promptu est Philosophi suffragium: μηδεις ημας πειθετω, ω φίλοι, ἀλλή θάπτου και βῆου καταβάλλειν αν ποτε πόλιν τος νόμους, η τη τών αυ κατενότων ηγεμονία μηδ εν γα ἀλλη γίγνεσθ μηδ ἄουδης ποτε χουσεσθ:

Φιλεϊ γδ πως ἀει τὸ ὑπήκοον ζήλω τῆς ἑ ἀρχῆς ἔ γνώμης βίον. Lib. 1.

Quat. Cur subditi vitam principis plerumque emulari soleant?

Φιλεϊ τὸ πλεῖθον ἐν τούτοις τοῖς ὀπτινδένουμοις ἔ βίον διάγειν, ἐν οἷς ἀν τος ἀρχοῦλας τος ἐαυτῶν ὄρωσι διατρέποντας. Soret vulgus in iis studiis vivere, quibus magisteratus suos videt esse deditos. Isoctat. Nicoel. In promptu est Philosophi suffragium: μηδεις ημας πειθετω, ω φίλοι, ἀλλή θάπτου και βῆου καταβάλλειν αν ποτε πόλιν τος νόμους, η τη τών αυ κατενότων ηγεμονία μηδ εν γα ἀλλη γίγνεσθ μηδ ἄουδης ποτε χουσεσθ:

Nemo nobis persuadeat o amici, ulla ratione citius aut facilius civitatem leges
moresque immutare, quam Principum exemplo præeunte: neque aliter nunc esse,
nec in posterum unquam futurum. Plat. de leg. 4. Calculum adjicit Vell.
lib. 2. recte facere princeps cives suos, faciendo, docet. Consentit Cicero:
Quales in republ. principes sunt, tales solent esse cives. Nec causæ occultæ,
Principis vita in edito ac prælustri cita est loco, unde se spectandum
exhibet omnibus; atque ad sui exemplum totum vult componi or-
bem. Subditorum vero mentes & oculi plerumq; ad alta illa versi,
ut herbæ quædam ad solis motum, in principum mores vertuntur.
Nec tam imperio epus quam exemplo. Plin. Paneg. Quod urget efficacius,
quam ipsæ leges. *Obsequium enim in Principem, & amulandi amor vali-
dior, quam poena ex legibus.* Tacit. lib. 3. Annal. Sapienter Isocrat. in
Nicoel. *πᾶσι δὲ δειγµα κἀλαστῆσαι ἢ τετραῖον ἢ ἐμαυτῷ τοῖς ἄλλοις βύλομαι.*
Meos mores alius, tanquam exemplum ad imitandum proponere volo. Et sane
vix ulla res est, quæ hominem ad virtutis studium magis instigar,
quam aliorum exempla, idque propterea, quod ea, quæ intelligit
natura humana, ex sensu intelligit; sicuti autem ea cognoscit ita
vult & appetit. Itaque cum exempla vehementer incurrant in sen-
sus, vehementer concitant intellectum & appetitum. Deinde ho-
mines plerumque ita judicant, prout sensibus aliquid apprehendunt,
hinc alios cum vident ita facere, per naturæ impetum eo rapiuntur,
ut ipsi idem committant; quia ad imitandum sunt maxime procli-
ves. quia vero sensu non fit iudicium, an quicquam bene, an pepe-
ram fiat, feruntur ad imitationem aliorum, sive secundum rectam
rationis normam agentium, sive ab eâ deviantium. *Atque ita quod
exemplo fit jure fieri putant.* præsertim viri Principis, cujus vitæ ratio
ac institutum, subditis veluti lex est. Audite Quintil. *hæc conditio
Principum, ut quicquid faciant, præcipere videantur.* Si illi velint honesta,
nemo non eadem volet; sin turpia, ab omnibus peccatur. Porro
similitudo id suadet: à capite bona valetudo, à sole lux; à Principe,
qui reipubl. caput, paulatim per omne regni corpus regia virtus
diffunditur. à Principe, qui, quod sol in cælo, est, in republ. cuncta
illuminantur atque efformantur. Emendat & corrigit continentia
omnes, rursum cupiditatibus inficit. Non aliter ac orbis inferiores
supero

supero illo abripiuntur, &, quanquam contra nitentes, obsecundant: ita subditi à supremâ potestate sèpius depravantur, & à bonâ viâ & vitâ deviant. Vere eloquentiâ parens, de legib. 3. *Licet videre, si velis replicare memoriam temporum: qualescunque summi civitatis viri fuerint. talem civitatem fuisse: quacunque mutatio temporum in principibus extiterit, eandem in populo secuturam. quo perniciosius de republica merentur vitiosi Principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsum quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt; plusque exemplo quam peccato nocent.*

Μόνος τε ἔγχε ὑμῖν ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεκλιθήν. ἢ μὴ πειρᾶσθέντα μα
ιδρωπικῶν αὐριάνων, ἀμὲν τῶ τῆς γὰρ πρὸς περὶ δειν, ἢ βασιλεῖος
ὁπερ ἔξαλο παρρησίας. Lib. I. in orat. Commodi ad milites.

Quæ. Cur noster scriptor dicat, purpura me suscepit regia?

Romani Imperatores soli purpurati, eorumque proprium gestamen purpura. paret ex Trebell. Poll. in triginta Tyrann. *Multis & sumpsisse illum purpuram ut Roman. more imperaret, & exercitum duxisset, & de se plura promississe duxerunt.* Idem infra de Herenniano & Timolao: *quorum nomine Zenobia usurpato sibi imperio diutius quam sceminam decuit Rom. publ. obtinuit, parvulos Romani imperatoris habitus proferens purpuratos, eosdemque adhibens concionibus. & infra de Zenobia: vixit regali pompa. More magis Persico adorata est: more regum Persarum convitata est. more Romano ad conciones galeata processit cum limbo purpureo. Neque hic limbus sumitur pro fasciâ qua extremitates vestium ambiuntur & ornantur, sed pro vestimenti genere muliebris. quanquam malim amplecti lectionem Incomparab. Salmaf. qui purat scriptum à Trebellio fuisse: *Luna purpurea. Luna* vero est sagum, à Græco λῆνα, quæ lectio confirmatur, quod Zenobia, ut Paulo ante refert Trebell. *Imperiali sagulo perfuso per humeros habitu Didonis ornata fuerit, quam Didonem ornata inducit pœta lib. 4. purpurea Chlamyde, quæ est sagulum. Idem in vitâ Gallieni: purpuream tunicam auralamque virilem, eandemque manicatam habuit. Quo factum est, ut Purpuram sumere, idem sit quod imperium sumere. in Gordianis: Gordianum proconsulem reclamantem, operum purpurâ imperare coegerunt. & primum quidem virum Gordianum purpuram sumpserat. postea vero quam vidit, neque filio**

neque

neque familie id inuenisse, volens suscepit imperium. Hic imperium suscipere, & purpuram assumere, pro eodemque sumitur. Ita omnes cum imperio purpuram sumpsisse minime dubitandum. adeo etiam ut in tumultuariis Imperatorum creationibus legamus sublatam aliquando de vexillis purpuram à militibus, aut è simulacris Deorum ereptam, cum alia ad manum non esset, quâ humeros eorum advelarent, quibus imperium deferebant, quod observat Summ. Salmast. apud Vopiscum in Saturnino, qui in Ægypto imperium sumpsit: *Deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus & adoratus est.* Idem in Probo scribit, appellatum esse eum Imperatorem à militibus, ornatum pallio purpureo, quod de statua templi ablatum est. Talem in modum Polliode Celso: *Celsum imperatorem appellaverunt populo Deo caelestis ornatum.* At hic sistimus, nodos in hac materia satis intricatâ intertextos, publicè in disputatione enodaturi.

Corollaria Respondentis Historica.

- I. **C**larissimum Olympicorum certamen ab Hercule institutum affirmamus.
- II. Legatos pratorios proconsules appellatos, negamus.
- III. Romanis Senatoribus pænularum usum, permissum, asserimus.
- IV. Saturnalium dies quinque fuisse, astruimus.

POLITICA.

IUSEcclesiasticum intrinsecum formaliter sic dictum, ad secularis potestatis tribunal pertinere inficiamur. Formam Reipub. Venetæ ex tribus Monarchia, Aristocrazia & Democratia, temperatam existimamus. Torturam Probamus.

F I N I S.